

I. N. 3.

QVÆSTIONES  
NONNULLÆ PHY-  
SICÆ,

*Quas*

ADSPIRANTE SUMMI NUMINIS GRATIA!

*Et*

Suffragante Ampl. Collegio Phil.

In Regio ad Auram Musarum Palladio,

Sub PRÆSIDIO,

*Viri Amplissimi*

M. PETRI HAHN,

Scientiæ Naturalis Professoris & Aca-  
demiaæ Bibliothecarii:

*Sobrie philosophantium examini publici spe-  
ciminis loco modestè subiicit*

MATTHIAS JOH. WEEGEREMAN/  
Wex. Smol.

*In Auditorio Maximo*

die 27 Octobris, 1694.

---

ABOÆ, Impr. apud Jo. WALLIUM.

Reverendissimo in CHRISTO Patri  
ac Domino,

DN. SAMUEL  
WIRÆNIO,  
S. S. Theol. Doctori  
Famigeratissimo, Episcopo Diœce-  
scos Wexionensis Excellentissimo,  
Synedrii Ecclesiastici Præsidi Emi-  
nentissimo, Gymnasii Regii Scho-  
larumque Ephoro accuratissimo,  
Mæcenati & Promotori Maximo,  
qvovis promptissimi obsequii cul-  
tu submisse & reverenter  
suspiciendo.

VITAM LONGAM, BEATAM.

*Admodum Reverendis, Reverendis & Cla-  
rissimis Dominis,*

Sacri Collegii Wexionensis

**ADSESSORIBUS**

*Gravissimis,*

*&c*

Gymnasii Regii **LECTORIBUS**

*Dignissimis,*

Olim **Præceptoribus**

*Fidelissimis,*

Nunc **Promotoribus**

*Certissimis,*

Devotâ animi Reverentiâ nun-  
quām non colendis.

*Reverendo & Doctissimo,*

**DN. JOHANNI KANKEL,**  
Pastori Paroeciarum, quæ in Weeselång/Tingå-  
åhs & Uhråsa colliguntur dignissimo & vigi-  
lantissimo, Fautori & Promotori certis-  
simo, ætatem amando.

**ET FELICITATEM PERENNEM.**



**A**xiā sanè deliberatione diu me-  
cum agitavi, Excellentissime Do-  
mine Doctor, Episcope ac Pater  
Reverendissime, ut & Vos Do-  
mini Magistri, Patroni optimi,  
utrum citra audaciæ notam Possem Reve-  
rendissimam Tuam Excellentiam Vestrasq; Di-  
gnitates liberius accedere ; vicit tamen diu-  
turnam cunctationem in Excellentissimam Tu-  
am Eminentiam Vestrasq; Dignitates cultus  
apud me sincerus & observantia pia : podo-  
rem vicit ac metum veneratio debita ; cum  
alioquin ita se habeant literatorum fata, ut  
Benevolentium & faventium adyta manibus  
quasi & pedibus conentur penetrare eorum  
præprimis, qvi ingenii sui monumentis virtu-  
tumque gloriâ nomen suum perennitati enixè  
consecrarent, qvibus alias sponte tantus favo-  
ris splendor inest in alliciendis illis clientu-  
lis, qvi minus secundis rerum successibus  
florent, ut magneti inest vis qvædam at-  
trahendi ferrum. Id ipsum ferio mecum re-

putans

putans, tanto firmius hoc mihi persuaderet  
quanto memini certius propensa benevolentia  
vestra, DOCTOR Excellentissime, ac Promoto-  
res optimi, serenam auram bonitatisq; ra-  
diis, dum apud Vos vixi me saepius recre-  
asse, cujus nunquam satis decantandæ bene-  
volentia apud me semper ardet desiderium;  
sed quam doleo! quod hoc uno modo me  
potissimum pauperem sentiam, dum nihil  
Tuâ Eminentia vel Vestris dignitatibus tam  
dignum inveniam, quod Vobis parare  
inque sinum dare ausim. Multi quidem  
offerunt multa, at multa non habeo, quod  
Musarum alumnis est valde frequens, ne .  
vero proflus ingratus videat hospes, illud e-  
nim verissimum, homo est ingratus, qui bene-  
ficium sumere scit, & reddere nescit, unum  
do, quod habeo, munusculum nempe hocce  
chartaceum, ceu primi agelli mei tenuem  
& præmaturum fructum vel potius festi-  
num abortum, non tam ingenii specimen,  
quam rudis Minervæ rudimentum, non  
tam floribus insolens, quam florum indi-  
gens, non tam fulgore purpureo fulgens,  
quam colorem materiæ deumbrans, non  
tam lacteo stili nitens, quam simplicita-  
tem prodens, non tam altiore sapienti-  
am spirans, quam simplicitatem obolens,

nec tam admirabili pulchritudine splen-  
dens, quam humi tantum repens. Lieet  
autem ita sit, spe tamen certissima sum  
fuscolitus, exile hoc opusculum, quamvis  
nec fulguret auro, nec candeat argento,  
apud Vos exiguo minimum pretio fore,  
cum non sine significatione animi gratissimi  
transmittatur, quod ut serena fronte exci-  
piatis exceptumque pro candore vestro  
cousveto & amore, quo semper amplectis-  
mini omnes, qui didicierunt, quâ ratione al-  
tior sapientia sit addiscenda, quâ venerati-  
one, quo honore & absq[ue]l amore ipsa-  
roni sint colendi, semper indefesso can-  
dide explicetis, humilitate, qua possum  
maximâ, piè contendo. Quod si feceritis,  
religio mihi non erit in posterum Ve-  
stra Nomina recolere, nec terrorem ter-  
zore cumulabo, sed ulteriori benevolentia  
Vestrâ fretus in optima causa bona con-  
scientia infraetique animo meliora, viam  
si DEUS in hisce oris longe diffitis con-  
cesserit sanam, apparabo. DEUM interea  
Supplici mente continuatis precibus vene-  
rabor, Velit Te, Reverendissime Pater &  
Vos, optimi promotores, circa Ecclesiam  
DEI procurationem & propagationem, mi-  
hi & omnibus tam benigno Patre & be-

nevolis Patronis indigentibus diuissime  
superstites, salvos & incolumes clementer  
conservare. Vive jam Reverendissime Pa-  
ter, vivite etiam Vos optimi Promotores,  
DEO, Ecclesia, Regi, Regno, Tibi & Tuis,  
Vobis & Vestris, mihi & omnibus bonis,  
taci & felices, salvi & incolumes, cumque  
fata Vos abstrahunt, fiat vobis Sanctorum  
cœlestis politeuma! quod optat, quicquid sem-  
perque permanet.

Amplissimæ Tuæ Eminentia  
&  
Vestrarum Dignitatum

*humilissimus cliens*

MATTH. BECKELMAN/  
*Auct. & Resp.*

*Solertia & doctrina conspicue*  
DN. MATTHIA WEEKELEMANN  
Fautor singulariter honorande

**N**on tam vulgare quam singulariter ingenii tui tuæque industriae, specimen declarare voluisti non per ambitus, nec per auram tuos fructus proferre cupivisti, sed ut te natura docuit, variæ res earumque naturas atq; exordia docte exprimere sustinuisti. Perge post hæc laudabiliter, ut cœpisti, ad altiora, nec prius, qvilibet fors tulerit, succumbe, quam Deus meliora. Ducat Te interea ille, qui omnia regere potest. Qvod animitus optat,

*Qui Tibi ab officiis est*  
**MAGNUS GEORGES HORN**

 Ceanum primâ vice ingressus,  
 pernice iectu, tanquam ful-  
 minis, redditur attonitus; tunc  
 enim offertur profunda vastitas, vasta  
& periculosa profunditas, fluctuum  
 strepitus, undarum vehemens murmur,  
 saxorum magnitudo, scopulorum ob-  
 staculum, vorticum devorantes voragi-  
 nes, piratarum depopulatio, Sirenum-  
 que blandæ sed fallaces cantilenæ, un-  
 de terror terrori additur, ut non mo-  
 do sua sponte, sed etiam multorum ad  
 exempla, primo intuitu qui extitere  
 magnanimi, deinde vero perterriti &  
 mox exanimes, celerrimo pede subter-  
 fugere gestiant. Parili modo & ego,  
 cum in amplissimum disputationis Oce-  
 anum descendere cogito, haud imme-  
 ritò tremens dubito, dum ob oculos  
 pono vehementem contrariarum tempe-  
 statum fævitiam, quā alii, ingenii viri-  
 bus, me longè superiores, pertentati sunt,  
 num vela imperterritus expandam, vel

A

metu

metu oneratus contraham, cursumque derelinquam. Qvia tamen certamen etiam dubium in hac palæstra, certo pollicetur multum in vita & studiis emolumenti, illud ipsum DEO duce experiri lubet.

## ELEMENTA IN RERUM NATURA NON EXISTUNT PURA.

**I**N explicanda Elementorum natura variè se torquent naturæ scrutatores, & cum profundos rerum sinus subtilimentis acie penetrare annituntur, valde sese cruciant, qvorum sententias, ut potest plurimas & diversissimas, ipsis relinquitus & ad rem ipsam statim accedimus.

Aér cum sensibus offertur quasi purissimus, est valdè impurus, in illo enim dantur nunc nebulæ, nunc pluviæ, nunc nives, nunc grandines, nunc plurimi vapores, nobis valdè noxii, qvos sæpè non sine præsentissimo vitæ periculo attrahimus & devoramus. Impurus inquam est Aér, ob aliena corpora infinitasq;

tasque atomos invisibiles, quas comple-  
titur: de terra enim & aqua & mistis  
exurgunt effluvia, fumi, vapores & a-  
tomi, quae particulae aerem implent at-  
ficiunt & inficiunt. Aqua nunquam of-  
fertur pura, scatet enim multorum cor-  
porum mixturâ, quae sensum fugi-  
unt, unde varii saepissimè percipiuntur  
sapores, odores & colores. Nec i-  
gnis Elementum existit purum, in il-  
lo enim, ut in ceteris, latet quidpi-  
am ex ceteris Elementis quod traxit,  
ceu ex carbonibus & flammis satis  
est manifestum. Nec terra est Elemen-  
tum purum, quid enim terra im-  
purius? cum nihil puri in ea invenia-  
tur; praeunte nobis ipsa experientia.  
DEUS enim & natura voluerunt eam  
rebus plurimis esse refertam, adeo ut  
nec minimæ arenulæ corpus detur, quod  
non aliis atque aliis rerum portionibus  
constet. Terra dici solet omnium  
mater, quae omnia sinu suo fovert, gi-  
gnit & nutrit, ex qua omnia egrediad-  
tur, & in quam omnia regrediuntur.

Instruētum promptuarium, ē qvo omnia hauriuntur, & in qvo omnia reconduntur; promus condus, qvi omnia promit & effundit, & omnia iterum reposcit & abscondit. Terra sīnu suo complectitur aquas, inclusos ignes, delitescentes flamas, aérem & perplurimos spirituosos halitus, in cavernis suis abditiores Salino - Sulphureo-Mercuriales ebullientes spiritus, qva propter haud immeritò metallorum, herbarum, plantarum & aliorum infinitorum salutatur commune hospitium, ex qvo ista omnia in conspectum prodeunt, iterum & in qvod statione peractâ, tanquam in destinatum sibi diversorium, revertuntur. Terra enim suimus, terram edimus, terram terimus, terram gerimus, & terra tandem erimus. Licet ita sit, qvod nemo inficiabitur, adeſt tamen in unoqvoq̄ Elemento qvidpiam, qvod alia corpora specie ab Elementis distincta ingreditur, forma scilicet tenuissima & substantia qvædam subtilissima, velut anima & index elementaris, com-

mon-

monstrans Elementum qvidem adesse,  
sed sensibus ob simplicitatem non ob-  
vium. Sed perseqvemur impuritatem  
Elementorum. Cum videmus vel sen-  
timus elementa, Aérem ignem,&c. di-  
cimus: hoc est Elementum, sed tam  
purum non est, qvin plurimas partes  
aliundè vehat. Aliàs Elementum usuale,  
extrinsecè afficiens appellemus, cujus  
centro inest qvoddam innatum deli-  
tescens, vel frigidum vel calidum, vel  
humidum, vel siccum , pro cuiuslibet  
Elementi indole, qvod per operationes  
insinuat Elementum qvidem adesse, in  
se suaqve natura omnino incorrupti-  
bile, sed sensum prorsuseffugiens. Etenim  
cum ignem dicimus Elementum, sub  
eo statim distinctum qvidpiam à reli-  
qvis Elementis concipimus, qvod ca-  
liditatem & siccitatem ei confert. A-  
qvam cum spectamus, illi denuò subesse  
qvidpiam concipimus, qvod humidita-  
tem conciliat. Talis etiam est cætero-  
rum Elementorum natura. Sal etiam  
terræ inest, qvod siccitate sua fixativâ,

fixam ei consistentiam præbet. De  
hac impuritate Elementorum ita disie-  
rit Sennertus: *Si Elementa absolutè con-  
siderentur, ea simplicitate & puritate, quæ i-  
pforum naturæ debetur, & quæ sunt norma  
& regula mixtorum, vix ullibi pura reperi-  
untur.* Si vero cum mixtis conferantur, &  
queratur, an etiam extra mixta seorsim exi-  
stant, dici potest, reperiri ea sincera, & pura,  
non quidem absoluta puritate, sed tali, quæ  
eis respectu mixtorum contigit. Extremata-  
men quam media puriora sunt. Nec tamen  
Elementa, et si non plane pura reperiuntur,  
nomen suum amittunt, & mista dicenda sunt.  
Cum hæc ita sese habeant, quæritur  
quodnam sit illud materiale, quod ad  
compositionem Elementati concurrit?  
Inter alia asseritur quod sit sal, sulphur  
& Mercurius, optimum & præstantissi-  
mum naturæ condimentum, seu po-  
tius, Salino - Sulphureo - Mercurialis  
spiritus, globo toti terraqveo, à DEO  
T.O.M. in prima creatione, cum ad sub-  
sistentiam, genesin & constitutionem  
specierum, tum ad earum propagati-  
onem,

onem, multiplicationem & conservati-  
onem inditus, qvi in corporibus, qvæ  
in mundo sublunari continentur, planè  
abditus delitescit, ita ut sub sensum non  
cadat, sine qvo nihil in orbe integrum,  
salvum & incorruptibile, consistere at-  
que conservari unqvam potest. Est  
hic spiritus secundum sententiam cuius-  
dam, purè simplex, qvi in centro suo,  
ceu proprio thalamo, ut formale qvod-  
dam naturæ coagulativum simplex &  
reconditum hæret, qvi cum sensum fu-  
giant per operationes tantum & effecta  
cognoscitur, qviq; virtute qvadam nati-  
va, qvæ fixativa est, rebus omnibus con-  
sistentiam confert, sine qvo nullum cor-  
pus naturale fixari, consistere, perdurare  
& conservari unqvam potest. Hinc  
reciproca qvadam communicatione  
terra & aqua mutuo amore se invicem  
amant & fovent. Qvibus positis, fir-  
miter omnino concluditur, nullum Ele-  
mentum ratione *Existentie* in tota rerum  
natura putum purum reperiri (1) ob

generationem & conservationem corporum sublunarium, ex puris enim Elementis nihil generatur & nihil conservatur, terra enim purior est sterilis, qvod loca arenosa satis ostendunt. (2) ob effluvia, qvæ impuritatem illam efficiunt, qvæq; Elementis conjunguntur, pura tamen sunt Elementa, ratione *Essentie*, ut cum Conimbricensibus loqvar, cum essentia unius Elementi non componitur ex mixtione alterius multo minus per illud subsistit & conservatur.

## SOL, NON TERRA, MOVETUR.

**T**erram moveri afferit Copernicus & alii, (1) qvod sit globi istar rotunda, & ideo apta qvæ circum volvatur. (2) dicunt terram à DEO conditore in complexu aquæ & aëris esse positam, nē qvid circumgyrationem ejus impediret. (3) dicunt cœlum non esse in loco, & ideo corpora Cœlestia non circumagi, cum qvod circumagit in loco esse debeat, in quo mo-

vebitur. (4) Nobilioris corporis, ut  
cœli, est quiescere, ignobilioris vero,  
ut terræ, moveri. Præter hæcogganni-  
unt multa, quæ nullis nituntur funda-  
mentis Qvibus respondemus (1) astra  
æque esse rotunda ac terram, quæ præ-  
terea sunt copora levissima & ideo  
semper mobilia, ut Clariss: Sperling.  
dicit; terra autem est corpus gravissi-  
mum & crassissimum, quod ob gravi-  
tatem nec sursum, nec deorsum nec ad  
latera movetur, à loco suo, seu à propria  
fede à DEO sibi ordinata, nunquam di-  
scedens. (2) Est terra, uti jam dictum  
est, Elementum gravissimum, & ideo  
meritò locata fixa intra aërem, qui  
est Elementum admodum subtile & le-  
ve, infra cœlum ac supra aquam & ter-  
ram existens, evehens obvium quod ab  
inferioribus rapit & suscipit, & iterum  
ad inferiora idem devehens. (3) Ex-  
tra omnis dubitationis aleam, cœlum in  
loco est propter quantitatem, ob quam  
etiam est corpus naturale, quod loco,  
ut in esse suo conservetur, indiget, valet

itaqve hic illud B. Augustini: *Spacia locorum tolle à corporibus nunquam erum corpora.* Est itaque cœlum in loco circumscriptivè, tum qvod figurâ sua circumseribatur, tum ob extensionem & distantias partium, qvæ certo loco egent. (4) Corpora viventia, animata, & animalia sunt corpora mobilia, nec ob mobilitatem cœlo inanimato ignobiliora. Minima plantula cœlo est præstantior, omne enim animatum & vivens est nobilis inanimato & non vivente. Qvamvis rapidissima flumina velociter moveantur, & unum locum cum alio citissimè mutent, alveos tamen suos ideo neqvaqvam mutant, sed in loco à natura sibi destinato, intra gremium sui alvei semper manent, & defluunt; ita corpora cœlestia, licet perpetuo moveantur, tamen illa spatia cursu suo perficiunt, qvæ sibi à DEO præscripta sunt. Hoe modo enarrant cœli gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.

Hie

Hic autem sciendum est, quæstionem non urgeri de motu terræ violento & extraordinario, quem non negamus, de quo Jobus cap. 9. v. 5,6. transfert, inquit, *montes & non agnoscunt, quis furore suo subvertit, de loco suo dimovet terram, & columnæ ejus contremiscunt;* sed de motu naturali & ordinario, seu de motu circumgyrationis & revolutionis anniversario & *μεγάλη μεγίστη*, 24 horis, de quo Doctos inter, acres sunt contentiones, quas brevitas haud immemores, omittimus, cum ipse DEI spiritus digito suo in sacris literis abunde rem exponat, terram loco suo affixam & immobilem adhærere, & solem cum reliquis cœli corporibus perpetuò moveri atque circumagi. Vix itaque mihi persuadeo, quempiam à veritate cœlesti & pietate tam esse alienum, ut fidem potius depravato suo cerebro; aliorumq; commentis, quam infallibili verbo DEI adhibeat; vel ut sententiâ Spiritus Sancti convellere audeat. Terram immobilem quiescere firmiter asseritur Psal.

104. 5. *Qui fundasti terram supra basim suam non movebitur in seculum seculi.* I. Chron. 16: 30. *Ipse fundavit orbem immobilem, ut non moveatur.* Psal. 119: 90. *fundasti terram, & perstat Eccl. 1: 4. terra stat in aeternum.* Job 38: 4. 5. 6. *ubi eras quando fundabam terram? quis disposuit mensuras, ejus annutia, si nosti. aut quis tetendit super eam lineam? super bases illius est desixa.* Psal. 24: 2. *super maria fundavit terram, & super flumina firmavit eam.* Hæc sunt effata ipsius DEI, quibus nos certo certiores de immobilitate terræ facit, unde satis confirmamur terram nunquam ad diem novissimum nuturam vel loco suo dimotum iri, sed constantissime centro suo afixam adhærere. De motu autem corporum cœlestium certos nos facit os veritatis, idem Spiritus Sanctus, nempe de oculo diei & noctis sole & luna Jos. 10: 12. 13. 14. *Tunc locutus est Iosu: ad Jephoram die, quæ tradidit Jehovah Amorrhæum coram filiis Israel & dixit in oculis Israël sol in Gibeon expecta, & Luna in valle Ajalon. Et ecce stavit sol, & luna*

luna constitit, donec uleisceretur gens inimicos suos. Stetit ergo sol in medio cœli, nec festinavit occumbere circiter die una integra. Et non fuit sicut dies illa ante eam vel post eam in qua obedivit *Jehova* noci viri. Circa quæ magnorum corporum stationis miracula oblervanda veniunt (1) Josvæ mandatum: *Sol* inquit, *contra Gibeon expecta, vel ne moveare & luna contra vallem Ajalon:* Hic non alloquitur terram, nec terram, & solem, sed solem tantum. Si terra moveretur, debuisset sanè Josva terræ Dominum invocare, ut illa staret immota, sed efflagitat tantum nè sol moveretur. (2) Ipsum miraculum: *sterrunt sol & luna, sol non festinavit unius ferè diei spatio occidere,* ut modo ordinario solebat, sed restitit. Syr. 49: 5. Præter hæc dat etiam Dominus Hîskiæ optionem eligendi per Esaiam dicentem: 2. Reg. 20: 9. 10. 11. *Vis nè ut progrederiatur umbra decem gradibus, an ut revertatur decem gradibus?* tum elegit umbræ egressum decem gradibus retrorsum & reduxit umbram... per gradus, quos jam defenderat in bore-

horologio abbas retrorsum decem gradibus.  
 Isa. 38: 8. Et reversus est sol lineis decem  
 per gradus, quos jam descenderat. Syr.  
 48: 26. In diebus illis retrocessit sol. Ubi  
 nihil dicitur de motu terræ vel &  
 ius umbra retracta, sed tantummodo  
 de solis, cui umbræ retractio & regres-  
 sio solum adscribitur. Nec dicit Spi-  
 ritus DEI terra est reversa decem gra-  
 dus, sed tantum sol, unde liquidum est  
 commentum esse cerebelli humani, ter-  
 ram moveri & solem quiescere. Quam-  
 vis terra ex aquis sit educta, & undi-  
 que a altitudine aquarum superantium &  
 circumuentium fluctibus instar rotæ  
 vel globi alluatur, virtute tamen Divina  
 est ita fundata & loco suo affixa, ut eo  
 nunquam deturbetur. Præter loca citata  
 asserit etiam Scriptura Sacra ubertim  
 solis motionem alibi, ut Eccl. 1: 5. Sol oritur  
 & occidit, ad locum suum regreditur, ut ibi ite-  
 rum oriatur. Postquam vias suas nobis  
 incognitas decurrit, ad locum suum, unde  
 exiit, iterum regreditur, expletoque no-  
 etis circulo, teste Galov. rursus de tha-  
 lamo

lamo suo festinans erumpit, attestante ipso Spiritu S. Psal. 19: 6. 7. Sol tanquam sponsus procedens de zalamo suo, exultat ut potens gigas ad currendum viam, ab extremo cœlorum egressio ejus, & revolutio ejus usque ad extrema illorum, nec est qui abscondat se à calore ejus. Psal. 104: 19. Sol cognovit occasum suum. v. 22. cum Sol oritur. Matt. 5: 45. Pater noster, qui in cœlis est, sinit solem suum oriri super malos & bonos. Syr. 43: 2. Sol in ortu suo lucem annuntiat machina admirabilis. Domini jussu iter suum accelerat Psal. 74: 16. Tu facis ut & sol & stelle certum cursum suum obtineant. Vide Jer. 31: 35.

Qvibus assertis luce meridiana clarius evadit, Deum Creatorem summum fecisse solem & lunam, ac cætera corpora cœlestia, ad ortum & occulum atq; motum conficiendum. Ordinariè itaque stat terra immobilis & qviescit, & sol cum reliquis corporibus cœlestibus ab oriente in occidentem circumducitur. Circumgyrationi terræ refragatur præterea constitutio Divina in prima creatione facta, Gen. I. 14. Ubi summus Thau-

Thaumaturgus DEUS dicit: *sunt lumenaria, & dividant diem & noctem, & dent signa tempora, dies, menses & annos.* Cum terra non recenseatur inter lumina-  
ria in firmamento cœli collocata, il-  
lius itaque motui, divisio diei & noctis,  
signorum, temporum, mensium & an-  
norum nequaquam adscribi potest. Sic  
ubi Scriptura Sacra facit rei fidem, ibi  
rationem quiescere oportet, cum Deus  
potest plura facere, quam nos intelli-  
gimus, Eph. 3. 20. Fateri coguntur &  
exclamare ipsi adversarii: si omnem  
motum soli & lunæ negamus, & solem  
centrum mundi immobilem facimus,  
dicta tamen spiritus Sancti nobis op-  
poni possunt, quod sol & luna luce & mo-  
tu suo diem & noctem faciant atque  
distingvant.

Quamvis adeo nec antea defuerint,  
nec adhuc desint, qui terram mo-  
veri & solem quietescere affirmant;  
contrarium tamen firmiora argumen-  
ta nobis persuadent. Primum: quod  
Scriptura Sacra gaudet auctoritate  
ma-

maxima, Psal. 104 Fundavit Deus terram  
super bases ejus, nè mutet in seculum. Eccl. I.  
terra perpetuò in seculum stans. Secun-  
dum: si terra moveretur, moveretur  
aut motu recto, aut circulari, aut natu-  
rali, aut violento aut præternaturali; at  
nullo horum movetur, ergo nunquam  
movetur. Probatur: Terra non movetur  
motu recto, alias ascenderet terra aut  
descenderet, omne enim quod move-  
tur motu recto, à centro ascendit &  
descendit, at terra à centro suo nun-  
quam discedit. Nec motu circulari:  
ex hoc enim motu sequentur sub-  
versiones rerum & destructiones speci-  
erum. Nec movetur motu naturali:  
DEUS enim eam fundavit, basique suæ  
imobilem affixit. Nec motu violento:  
hic enim non est continuus, nec dici  
potest circumgyratio. Nec motu præ-  
ternaturali: is enim raro fit, & habet  
se longè alio modo, quam natura requi-  
rit, undè terræ potius repugnat quam  
conducit. Ita reperitur nihil in rerum  
universitate, cuius tanta sit efficacia, ut

ingentem terræ molem elevare imis-  
que sedibus evehere potuerit. Relin-  
qvitur adeo terram naturâ esse immo-  
bilem. Hinc qvod ipsissima ratio asse-  
rit, illud omnino est aſlerendum, ter-  
ram qviescere & stellas moveri afferit  
ratio, E. Probatur minor, lapis vel glo-  
bus furſum projectus, recto cursu &  
perpendiculariter locum suum, ē quo  
est projectus, intendit, repetit & occu-  
pat. Si terra moveretur, ſe interea sub-  
duceret, aliumque locum lapis omnino  
repeteret. Præterea qvod Spiritus DEI in  
verbo dictitat illud omnino est statuen-  
dum, at corpora cœlestia moveri dictitat,  
E. Probatur ex dictis antea allatis. Sa-  
cra S. nobis non est deferenda, ſed ſem-  
per consulenda. Nec cogitandum eſt,  
Scripuram S. accommodare ſe intelle-  
ctui nostro, aut falſa loqui, cum vera  
nos non concipimus. Auctoritati ita-  
que Divinæ non eſt præjudicandum, ſed  
pulchrius eſt fateri ſe erraffe, qvām cum  
mundo sapere; qvia aduersus DEUM  
sapere, eſt diſipere, coram cuius facie

omnis sapientia est fatua & insipientia,  
 DEO inimica, ad Spiritus dictamen:  
*omnes homines cum arte sua sunt fatui,*  
 Jer. 51: 17. audi hoc inflate rationum  
 tuarum admirator, audaxque DEI o-  
 perum corrector: erubet contra  
 Spiritum S. sapere. Confusio tibi mer-  
 ces coram DEO & orbe erit. Ea  
 enim quæ nobis à DEO sunt revelata,  
 omnium certissima credenda, & me-  
 moriæ nostræ pro summa regula sunt  
 infigenda. Quamvis forte lumen rati-  
 onis aliud quidpiam nobis suggerere  
 & persuadere conetur, solitamen aucto-  
 ritati Divinæ potius, quam proprio no-  
 stro judicio, fides est adhibenda, tanti  
 enim est valoris vel unicum Spiritus San-  
 eti testimonium, ut omnem humanæ  
 mentis certitudinem & efficaciam mil-  
 lies transcendat atque eludat: in iis au-  
 tem, de quibus fides DEI nihil nos e-  
 docet, minimè decet, hominem pro ve-  
 ro aliiquid assumere atque afferere, cum  
 verum non peripexerit.

*Astra ergo, magneta DEO, rapiuntur in  
orbem,*

*Stans vero vi terra sua firmatur in ebum,  
Ponderibusq; suis librata immobilis heret,*

## ABSQVE SEMINARIO PRINCIPIO NON DATUR GENERATIO SPONTANEA.

**D**E Spontaneo viventium ortu diu & dubiè pugnatum est, & adhuc pugnatur, cum quidam afferant viventia quædam, remoto omni omnino principio seminario præexistente, enasci, quod quidem maximè est absurdum, cum nihil possit esse causa sui ipsius & immediatum principium. Dicit Kirckerus, sed male, formas substantiales tam plantarum quam animalium, excepta sola hominis anima rationali, è potentia materiæ educi, quam ob causam necesse est, eas esse materiales, & divisibles & una cum corpore organico corruptibles, unde tamen necessario sequitur, in omnibus hisce, cum plantarum tum animalium partibus, cum portione seminis quidpiam formæ istius latere, idq; non

non in viventium duntaxat corporibus,  
 sed vel in mortuorum cadaveribus su-  
 perstes remanere, qvod nihil aliud esse  
 potest, qvam qvi in universali principio  
 panspermatico seu salino-Sulphureo-  
 Mercuriali centro, ut propria sede, latet  
 spiritus. Unde asserimus terram, aquam  
 & aërem hujusmodi seminalibus princi-  
 piis esse referta, qvæ principia, propor-  
 tionatâ & benè dispositâ matrice inventâ,  
 è vestigio ex plastica virtute, vitæ dant  
 exordia. Strepuè itaq; negamus calo-  
 rem putrescentium, esse spontaneam seu  
 proximam causam viventium qvorun-  
 dam animalium, ut qvibusdam hoc  
 arridet, qvia in putrescentibus adest tan-  
 tum materia qvædam, in qva forma o-  
 peratur & per eam operationes suas  
 edit. Nec admittitur in hisce produ-  
 cendis solus & immediatus DEI summi  
 Conditoris concursus, cum DEUS me-  
 diantibus causis nunc operetur. Nec  
 sufficit astrorum influentia, nec Ele-  
 mentorum adstantia, nec calor Cœle-  
 stis ambiens, qvæ aliis dare nequeunt,

qvæ ipsa non habent, cum effectus non  
 excedat virtutem suæ causæ, hæc sunt  
 tantum causæ remotæ & universales.  
 Sed solum semen cum forma à mortuo-  
 rum, & plantarum & animalium cada-  
 veribus dicisum, horum effectorum,  
 qvæ sponte venire videntur, dicimus esse  
 causam proximam & generationis prin-  
 cipium, remotè cæteris concurrentibus.  
 Illa tribuuntur DEO ita, ut quemadmo-  
 dum influxu suo creativo omnia crea-  
 vit, sic etiam influxu suo conservativo  
 omnia conservat. Conceditur qvidem so-  
 lem & cœlum multum ad rerum propa-  
 gationem & generationem conferre,  
 materiam scil. influxu suo fovendo &  
 matricem disponendo; non tamen sunt  
 causa efficiens proxima & princi-  
 palis atque univoca, sed sunt tan-  
 tum causa remota, instrumentalis qvæ  
 formam communicare, substantiam  
 producere & vitam concedere neque-  
 unt, sine concurso & adminiculo cau-  
 sæ principalis. Voluit ideo æternus  
 alle Plastes DEUS fœcundum & prolifi-  
 cum

cum principium massæ chaoticæ con-  
 creatum, esse principium generationis  
 & multiplicationis proximum, donec  
 influxu suo destructivo omnia destru-  
 ere, inqve nihilum iterum redigere ipsi  
 placuerit. A mortuis ideo, contestante  
 Hippocrate lib. de usu membrorum, di-  
 cimus, *semina incrementa & nutrimenta fieri.*  
 Qvibus semen innuit, in qvo spiritus vi-  
 vens velut anima latet, esse materiā pro-  
 ximam sponte nascentium, generationis.  
 Quamvis corpus sit cadaver putridum,  
 adest tamen forma, ut media na-  
 tura inter corpus & spiritum, in qua  
 facultates confidunt, velut in va-  
 se qvodam, post mortem viventis reli-  
 etæ, & est forma interna specifica, quæ  
 speciem constituit, & unicuique speciei  
 secundum affectiones & effectiones su-  
 um largitur esse, distingui & operari.  
 Hujus rei ipsum Arist. habemus testem  
 lib. 3. de gener. Animal. c. II. ubi de sponta-  
 neorum ortu sic loquitur: *Generantur in*  
*terra & humore animalia & plantæ, qvoniā*  
*humor in terra, spiritus in humore, calor a-*

*nimalis in universo inest, ita ut quodam modo plena sint anima omnia.* Ubi juxta Kirckeri sententiam intellexit semen commune generationis principium; per humorē in terra, vim qvandam salinam; per spiritum in humore, mercurialem; & per calorem, sulphuream, qvas virtutes vocat Spiritum Salino - Sulphureo - Mercurialem, proximum rerum omnium generationis principium ab initio inditum atq̄ ad res omnium constitutionem & conservationem à DEO T.O.M. destinatum, unde generatio consequitur corruptionem, cum spiritus, calore externo disponente, materiam excludit & in actum producit, cum nihil in tota rerum natura inveniatur compositum, qvod ex hac triplici virtute non constituantur atque conster. In sale communi triplex hoc principium latet, in quo Elementum terrenum prædominium obtinet: in corpore mercuriali hæc tria etiam delitescunt, sub prædominio humidi: in sulphure modo parili inveniuntur eadem, sub prædominio cali-

calidi & siccii. Unde à philosophis non incongrue vocatur certis nominibus: Ignis Noæ ab Alberto; semen mundi à Platone, οὐλέχεια seu rerum omnium vis ac matrix ab Aristotele; semen naturæ ab Hermeticis, ex quo omnia originem suam ducunt. Qvod si matricibus benè dispositis concredatur, statim pro ratione & dispositione matricis, effectū & fœtum eniti atq[ue] producere intendit. Si à vegetabilibus attrahatur, vertitur mox in semen animatum. Hujus virtute omnia plantarum & animalium & animatorum genera, à DEO immediatè ex massa chaotica producta, ad extrema usq[ue] mundi tempora durabunt, Hic tamen non datur regressus à privatione ad habitum, cum corpora cadavera nec denuò reviviscant, nec eadem vel specie vel numero resurgant, cum in sponte natis non sint eadem numero instrumenta, quæ ante fuerant, sed longè alia, nova effecta, cum à pristino vivente, numero, substantia, essentia & specie sponte genita dissideant, ut in

animalculis cadaverumque excremen-  
tis pronatis pater. Frustra itaque sunt  
qui ad putredinem & calorem confu-  
giunt. Corpora quidem cœlestia sunt  
semper laboriosa & nunquam otiosa,  
quæ in inferiora hæcce, lumine, motu  
& influentiâ jugiter agunt, sed sunt o-  
mnino causæ universales, à terra ejus-  
que reconditissimis cavernis admodum  
remotæ, ut in eas cum virtute pro-  
pinqua agere nequeant. Sic nullum  
datur sponte nascens sine principio  
qvodam præexistente, sine ulla semi-  
nalis virtutis efficacia, ut qvidam  
sibi imaginantur; sed omne ita na-  
tum, aut ex plantarum corpusculis,  
aut aliis corporibus, semine delite-  
scente latentibus, originem suam hau-  
xit. Hinc, prout substantiæ & species  
in hoc vel illo loco variant, ita eodem in  
loco variant etiam generatorum & ge-  
nerandorum principia & materia in  
matrice disposita. Inde, eadem in a-  
qua, generantur varia mineralium ge-  
nera: eodem in horto sub unius cœli  
in-

influxu erumpunt variæ plantæ, medicamentosæ & alimentosæ. Omnia animata, vi benedictionis, salis, sulphuris & Mercurii coagulo sunt permista, unde crescunt & multiplicantur, qvæ omnia in suis latibulis, terræq; penetralibus, summi creatoris sapientiam & potentiam perpetim deprædicant. Nullus tamen putet, hoc loco nos asserere Salino-Sulphureo-Mercurialem spiritum Spermaticum è Sale, Sulphure & Mercurio nostro minerali ceu principiis esse compostum, sed hæc potius ab illo. Hunc constat esse quidpiam Sali Sulphuri & Mercurio nostro minerali analogum elementis, indissolubili vinculo conjunctum, insensibile tamen, nec unquam ~~solu~~ nisi per operationes percipi.

Aliis omissis, admiranda omnino est vermiculorum, tinearum, teredinum & blattatum genesis. Hæcce maxime animalcula à vestimentis, arboribus & Charatis adsistentibus tribus, ante allatis caufis, originem suam ducere haud dissonum vide-

videtur, cum ut plurimum in hæcce tyr-  
ranidem suam exerceant. In laneis  
pestes tineas reperiri omnibus summo  
cum tædio constat, qvas vero simile vi-  
detur generari ex vario vermium se-  
minio, & permixtis pulveribus, in lanis  
vitiatis existentibus: in linteis itaq; non  
facile inveniuntur, docet enim experi-  
entia, a tineis linta non corrupti, nisi  
adhæserit lanugo, sed ab injuria earum  
omnino esse immunia. Teredines in  
ligno non generantur à sola putrefactio-  
ne, sed ex aliarum teredinum vermi-  
umque seminio antea inexistente, & al-  
tius insinuato, qvō lignum adhuc viride  
refertum scatebat. Certum est, nullum  
lignum ita exsiccari, qvin aliquid humi-  
di una cum pristino animalium seminio  
retineat reliquum; unde fit, ut ex forma  
intrinseca, ambiente calore extrinseco,  
semen fœcundatum & excita ~~tum~~  
reviviscat & teredines producat. Blat-  
tæ etiam oriuntur vel ex ligno seminiis  
latentibus vitiato, vel ex pellibus, qvi-  
bus libri compinguntur, vel ex charta,

cui lanei flocci & vermiculorum excre-  
menta adiposa inhærent. Hinc diversæ  
sunt hæ species; pro diversitate mate-  
riæ. Dum Philosophi observatione cautâ  
& indagine curiosâ vermium fœturas  
multiplices, qvæ in membris humanis  
sæpiissime inveniuntur, investigare co-  
nantur, vastissimum sapientiæ oceanum  
penetrando, graviter se torquent. Nos  
autem quid de hisce sentimus, paucis ex  
pediemus, asseverantes, in omnibus hu-  
mani corporis membris tam internis  
qvam externis, nasci vermes, in cerebro,  
unde cephalæa; in auribus, unde dolor  
aurium; in oculis, unde ophthalmia,  
in dentibus unde dolor dentium; in cor-  
de, undè cordolum, in manibus & pe-  
dibus, &c. qvibus hæcce membra ma-  
ximè infestantur & gravantur, imo in  
ipso sangvine; hinc pleriq; morbi sive  
sunt interni sive externi, vermibus sunt  
obnoxii, unde apparent totius corporis  
massam in vermes vel massam vermi-  
genam facile resolvi.

Qvæ-

Qværat qvis, unde verminoſa hæc  
ſeptura originem ſuam trahat? Resp.  
Alimentum quo homines nutriuntur  
cauſam eſſe. Scimus homines ali tam  
animalium qvam herbarum, omnisque  
generis fructuum & lacticiniorum e-  
ſcā: ſcimus etiam animalia infeſtorum,  
vermiculorum & plantarum alimentum,  
differentibus ſeminiis infeſtum, olfa-  
cere, deguſtare, aſſumere & comedere  
quod demum in edulii uſum homini ce-  
dens, ſecum dicta ſeminia una detert, qua  
conveniente humore in matrice reper-  
to atque calore intrinſeco & extrinſe-  
co fermentato, pro qualitate ſeminii &  
matricis, fœtum excludunt, priſtino pla-  
nè vel ſimilem, vel degenerem aut di-  
ſimilem. Hinc pueri & adnlti, qui fre-  
quenti eſu laetis truuntur, & lacticinio  
nutriuntur, quod vermiculis eorumve  
dulciori ſemine ſcatent, vermibus gra-  
vantur. Idem eſto Judicium de ciba-  
riis & eſculentis, tam recentibus quam  
vetuſtis, & rancidis ab infeſtis & ani-  
mantibus infeſtis atque delibatis, abdi-  
tis

is vermiculis eorumve seminibus, quæ alimenta incautius assumta in nutrimentum, seminio aliquando turgente, fœtus vermes excludunt, qui pro indole nocumenti latentis, majorem vel minorē morbum & damnum hominibus afferunt. Inde in multis vehementes internæ corrosiones, nausea, vomitus aliique morbi graviores. Uti terra omnis generationis & nutritionis statuitur mater, ita quoque perpetuò exhalatione sua mala nobis machinatur, ut omnis veneni & nocumenti tām mater, quam humani generis maligna noverca haud immeritò salutari possit, cum unde alimentum & vitæ sustentationem capere avidè paramus, inde etiam morbos, mortis prænuntios, deniq; ipsissimam mortem attrahimus, siquidem nulla vix plantula sit, quæ virulenti aliquid sibi annexum non habeat, qvod, cum plantæ in alimento animaliū, & demū in nostrum cedunt, nobis præsentissimo cum vitæ periculo ingeritur. Cum itaq; ut supra dictum est, omnia, quæ in geo-

cosmo sunt, Sale, Sulphure & Mercurio constent, etiam omnia quæ ex terra originem suam trahunt, vegetabilia & animalia, immo, quod admiratione dignum est, ea, quæ vitam nobis prorogant, quibus vescimur & alimur, tandem nostrum in exitium unanimiter conspirant. Corporis nostri humoribus inest quoddam Salino-Sulphureo-Mercuriale reconditum, quæ tria quamdiu cum elementis consonant & amicitiae leges servant, tamdiu hominem in integro sanitatis statu constituunt; cum vero per elementorum vel humorum *duo specierum* Sal, sulphur & Mercurius exalentur, tum statim pro condizione spirituum, partium & humorum, morborum varietatem & copiam parunt. Unde non immerito Chymici omnne morborum genus ad triplicem referunt classem, ut alii sint sulphurei, alii mercuriales, & alii salini, id est, a sulphure, mercurio & sale orti. Ubis hota eu dignum est: pro sulphure hoc loco intelligi calorē innatum non elementarem,

per Mercurium humidum radicale, &  
per Sal, quidquid tam in megiōsmo  
quam microcosmo terrestre sapit.  
Qvæ tria materialia principia in mem-  
bris microcosmi, pro natura & proprie-  
tate membri, cui insunt, alios atq; alios in  
membris vitalibus, in humorum massa,  
alios in venosa, alios in nervosa substanc-  
tia, alios in membris exterioribus secun-  
dum naturam suam gignunt effectus.

## IN AQVARUM SUPERFICIE SINE RADICIBUS NASCUNTUR INNATAN- TES HERBÆ.

**I**n admirationem herbarum, ut Sargassi  
& aliarum sine radicibus Oceano in-  
natantium & prata virescentia repræ-  
sentantium non immerito rapimur, de  
qvibus Lerius in navigatione sua sic  
dicit: *Inter herbas mari innatantes per  
quindecim dies versati sumus, quarum tanta  
erat densitas, tantaque copia, ut nisi secu-  
ribus eas secantes navigio, quod illis fragen-  
dum erat impar, viam fecissimus, futurum  
autumo fuisse, ut ibi substituimus.* Quo-

niam herbarum illa copia mare quodammodo turbidum reddebat, nos in paludibus cœnoscis versari credebamus, ac proinde insulae quædam in propinquæ esse credebamus; verum iactâ bolide, cui funis 500. ulnarum longitidine alligatus erat, nec fundum attingimus, neque insulas ullas aut continentem adverimus. Cum Christophorus Columbus Anno 1492 expeditionem, novarum regionum detegendarum ergo, per oceanum susciperet, mare adeo herbidum reperit, ut pratum referret, baccis ad instar granorum juniperi nigricantibus, consitum. Sed unde hæcce herbacea progenies originem suam dicit? De hac re multi multa tradunt, sed crustam tantum attingunt, quam tamen non frangunt, nec pultem gustant. Quid vero mirum, si baccæ adsint, cum genesis ejusmodi herbarum minimè dicenda sit spontanea, sed censendum sit, eas virtute seminis, ut alias herbas nasci & propagari. Sed loco radicum percipiuntur tantum adesse filamenta quædam prælonga fundum non attingentia,

qvorum summitates prata natantia huc  
illucque agitata præ se ferunt, de qvi-  
bus sanè nescimus qvid verè sit statuen-  
dum: hoc tamen scimus & dicimus,  
magnam vim pulveris & ramentorum  
in aquæ superficie hærere, à plantarum  
vel animalium cadaveribus putrefactis  
profectā & fœcundissimo semine refertā,  
in quibus cadaveribus herbarum, ejus-  
modi lemen seu spirituosus quidam suc-  
cus, à plantis attractus, deliteſcit, qui  
demum turgere, operari, efformari inq̄  
herbam, vi formæ delitescentis erum-  
pere incipit. Advehi præterea potest  
hujusmodi herbarum materia, ab ani-  
malibus in aqvis degentibus, vel ex ex-  
crementis eorum adipofis, seminali qvo-  
dam spiritu turgentibus, quæ tandem à  
calore fœcundata, in novæ demum plan-  
tæ substantiam similem repullulaſcit, vel  
in dissimilem degenerat. Nec abſonum  
cenſetur hujusmodi plantas oriri ex a-  
liarum plantarum vel animalium pin-  
gvis excrementi halitibus, qui putrefa-

cti, fundo aquæ adhærent, cum exhalationes, teste Aristot. ubi concreverunt, causam comprehendere possunt, qui sit, ut sine plantæ. Qvod intelligendum venit, non de exhalationibus simplicibus, sed de iis, quæ non nihil animati & vegetabilis seminis aliunde decisi, habent admixtum. Vero etiam simile videtur, ejusmodi herbas innatantes, enasci ex pulverulentis pluviis, ventorum vi illatis, semine fœtuque prægnantibus. Præterea nullus ibit inficias, tales herbas produci ex ipsis aquis marinis, quæ per prata & paludes camposque vicinos semine herbifero refertos, in mare proruperunt. Quæ herbæ, licet aliquando traduci sint dissimiles adeoq; heterogeneæ propter variam seminum mixtionem, sunt tamen herbarum species in se qvidem perfectæ. Atq; sic nihil ē terra absq; ullo semine & seminali principio sponte nascitur, ut quibusdam est ad palatum, qui ad causarum minus principalium, instrumentalium & universalium; non vero ad principalium & particularium influxū recur

recurrunt, cum tamen effectus determinatus, teste Sperlingio, ab universali & indeterminata provenire nequeat causa. Etenim plantarum, herbarum & cætorum viventium species, sunt effectus determinati, qui non producuntur solum à causa efficiente universali sole & cœlo, sed cum primis à proxima principali & particulari, quæ in efficiendo primarias sibi vindicat partes, & determinati aliquujus effecti vera existit causa. Hic omnino notandum est, qvibus modis matricibus suis inseruntur. Nemo sibi imaginetur, plantas, quæ dicuntur sponte nasci, aut ex terrena, aut ex aqua substantia, aut ex putredine sola oriri, sed cum his conjungi oportet semen vegetabile. Committuntur autem semina  
 (1) vel loco plantæ proprio. (2) vel per vehementiorum ventorum flatum, in diversa camporum, vallium, montium voragini deferuntur, vel fluminibus, lacubus, paludibus & fontibus ingeruntur.  
 (3) Non a semine solum puro, sed velex ipsi vulucrum, hominum & animalium

reliqvorum excrementis, in quibus vis  
quædam plantarum spermatica adhuc  
dum latet & viget, nova iterum plan-  
tarum progenies fundatur atque produci-  
tur. Atque sic herbae & arbores &c. saepè è  
semine & succo latente & abscondito  
generantur, nutriuntur & augentur, &  
simile sibi generant. Ut enim brutum,  
generat brutum, & homo hominem,  
ita planta plantam ex virtute seminis  
in radice latentis, cuius generativa vis  
ad surculos, ramos omnesque stripis  
partes diffunditur, & diffusa operatur,  
unde ramulus ejusque pars terræ in-  
serta in se tantum semen prolifici, tan-  
tum caloris innati, tantumque humidi  
radicalis retinet atque conservat, qvan-  
tum ad radices agendas, germinandum  
& fructus proferendos sufficit: ut salix,  
quæ licet semen non gignat, uti volunt,  
habet tamen principium seminale per  
totam arborem ample dispersum, satis  
fœcundum, undè per ramulum abscon-  
sum, alioque translatum, propagatur &  
in magnam altitudinem excrescit.

DISQUIRUNT DE EO DOCTORES,  
 UTRUM DEUS IN PRIMÆVA CREATIONE  
 PRODUXERIT VERMES, INSECTA, HERBAS  
 VENENOSAS, SPINAS, TRIBULOS  
 ET ZIZANIA?

Ita affirmant quæsumus, inlecta, spinas,  
 tribulos & venenata ab initio mundi  
 condita esse, sed neque fœda neque ho-  
 mini noxia extitisse, idque ideo, quia  
 DEUS omnium specierum conditor, fe-  
 cit totius mundi ædificium undique per-  
 fectum suisque partibus absolutum  
 sex dierum spatio, & postea ab opere  
 cessavit creationis. Quo Theander B.  
 Lutherus respicere videtur cum dicit:  
*Sentio omnes arbores ab initio fuisse bonas &*  
*fertiles, de quo nullum fovendum est*  
*dubium, cum omnia valde bona, à DEO*  
*omnis bonitatis scaturigine creata fue-*  
*rint.* Gen. i. v. 4. 10. 12. 18. 21, 25. 31. Syr.  
 39.40. Cum vero protoplasti nostri enor-  
 miter peccaverant, maledixit DEUS  
 terræ, ut spinas & tribulos, sub quibus et-  
 iam alia venenata & nociva intelligenda  
 veniunt, produceret, Gen. 3. v. 17. 18. spi-

næ itaqve tribuli, zizania, herbæ venenoſæ, arbores ſteriles, inſecta, qvæque ſunt homini noxia qva talia, in pœnam peccati producta ciferi debent, qvod etiam Megalander D.Luth. indicatſe vi-detur adverſus illos, qvi extra paradiſum alſeverāt terrā extitifſe ſterilem, spinis & tribulis oſitā, cui Syracides ſuffragatur ē 39.v.35. 36.37. Jam vero fi hæc ut diſtin-ctæ ~~ppcies~~ considerantur mundum in-tegrantes, certum eſt illa initio fuſſe condita, qvia omnes ſpecies tum creatæ ſunt, ceſſavit enim creator DEUS ſepti-mo die ab omni opere fabricando, ex-titerunt itaqve qvoad naturam herbæ, at non extitere quantum ad qvalitatem noxiā, cum DEUS operationem eo-rum nocivā impediret, Sic cum ſum-mus Architectus poſt maledictionem, ob peccatum amovit imperium ſuum, qvædam partes degeneraverē in uſu & qvalitatibus. Fuerunt ideo ab initio: ab initio enim fuit *omne virgultum*, Gen. 2: 5. fed non fuerunt in pœnam, in qvam poſt nunqyam ſatis deplorandum la-pſum

psum eruperunt. De insectis sequen-  
 tia signat Augustinus lib. 3. de Genesi:  
 omnia minutissima animantia qvæ de terra  
 & aqua oriuntur ab initio sunt creata statim  
 bona, reliqua vero qvæ de animantiū corporibus  
 cadaveribus producuntur non sunt creata tunc  
 temporis, nisi in omnibus animatis ineret  
 vis quædam naturalis atque præseminata ma-  
 teria futurorum animantium, ut initiata pri-  
 mordia, unde de corruptionib[us] corporum pro  
 suo quæque genere & differentiis alia per  
 administrationem ineffabilem omnia mo-  
 ventis & incommutabilis creatoris exo-  
 ritura erant. Postquam hæc in commen-  
 tario suo ad Pentateuchum allegaverat  
 sequentia addit Osiander: Sufficit si sta-  
 tuatur ejusmodi animalia secundū prin-  
 cipia vel semina præextitis, qvæ de-  
 inde positâ eaufâ externa evocata &  
 perfecta. Perfecta illa extitis & ni-  
 hilominus facultate nocendi instructa  
 non fuisset vix admitti potest, qvum hæc  
 illorum scil. natura & indoles a qvâ  
 abstinuisse, qvasi per miraculum qvis  
 afferet? Calovius vero in comment. ad

Genesin ita infit: Qvanquam enim de insectis, vermibus & aliis qvibusdam animantibus vulgo credatur, qvod ē putredine nascantur, qvam vocant generationem *eqvibocam*, uti Aristoteles mures etiam nasci statuit: rectius tamen non tantum Physici accuratiores, sed etiam Theologi, praeente B. Luthero, generationem qvorumvis animantium ad primævam creationem & benedictionem revocant: & observant notanter dictum esse, fecit Omne reptile terræ. De noxiis vero animantibus in universum æqve uti de herbis venenatis tenendum, qvod ea *substanciae* ratione à DEO qvidem condita, non tamen per se homini à creatione noxia fuerint: siqvidem homini in omnia dominium concessum, unde nihilo plus serpentes aut viperæ homini nocuissent, qvam Paulo viperæ ē farmentis collectis prodiens, A&t. 28: 5.

**DEUS PRIMUM CREAT VIT CHAOS.**  
**S**uperius probata ut melius intelligas, fermentis aciem convertimus ad fertilem

lem seminarii agrum Chaos, massam illam primævam quatvor Elementorum, omniumque rerum receptaculum terrâ aqua & cœlo constans, quam massam indigestamque molem Calviniani sollicitant, qui subtili mentis speculazione se totius sapientiæ oceanum exhausisse e- jusque latifundium perreptasse putant, præprimis Antesignanus eorum Kecker- mannus vir profundè eruditus cum suis affeclis in natura extitisse pernegat lib. 7. Syst. Phys. dicens: Repugnare (1) perfe- ctioni Divinæ si hoc Chaos DEUS pro- duxisset. Dicit (2) hoc repugnare natu- ræ creationis si DEUS tam confusum chaos, indigestam massam rudemque molem creasset, cum DEUS sit Auctor ordinis & non confusionis, 1. Cor. 14. Petit (3) sententiæ suæ auxilium ex libri sapientiæ c. 11, v. 18. & 22. ubi DEUS dici- tur omnipotenti sua manu creasse mun- dum omnesque res ex indisposita ma- teria, in mensura, numero, & pondere, unde infert nullum ideo creatum chaos seu mundi & partium mundū integran- ti-

tium, præexistentem materiam (4) ex lib.  
 Ecclesiasticus c. 18: 1. ubi extat: *Qui vidit in eternum creavit omnia non simul vel communi-  
siter: si hoc, non produxit primo indi-  
gestam rudemq; molem, ex qua postea  
omnia quæ condita sunt, sex dierū inter-  
vallo condidit. Dilui ista queunt si respon-  
deatur (1) Creationē esse substantiæ con-  
stitutionem ex nihilo, seu actionem ex-  
ternam, quæ internam DEI creatoris  
essentiam summamq; perfectionem nul-  
lo modo reddit imperfectam.* (2) Am-  
babus manibus Keckermanno concedi-  
mus DEUM omnino esse Auctorem or-  
dinis, nequaquam vero confusionis, ex-  
inde tamen non concluditur, DEUM non  
creasse Chaos, nec ideo Auctor est dicen-  
dus confusionis quod primo confusum  
condidit chaos; sed eo ipso se Auctorem  
ordinis demonstravit, cum ordo hic sit,  
ut fiat progressus à non esse ad esse, ab  
imperfecto ad perfectum, unde nec cre-  
atio chaoticæ massæ dicenda confusa,  
sed opus tantum creationis rude, indi-  
gestum & nondum perfectum, ex quo  
cun-

cuncta nunc distincta & in esse suo completo sunt constituta. Notandum etiam est, in massa illa plastica nihil tam fuisse confusum & inordinatum, qvin omnia à DEO Authore ordinis ad legem naturæ optime fuerint disposita & ordinata : quæ levia erant, tenebant supremam sphæræ partem, gravia autem in fundo infimam , in uno illo corporum chao- te inclusa. Creavit itaque DEUS chaos, quod fuit primæva seu prima materia, ex qua prorepsit secunda, quam DEUS creavit nec ex sua substantia, nec secundum suam substantiam, nec ex alia sibi coæterna, sed ex puro nihilo negativo , cui sententiæ Eucherius calculum addit inqviens : *Materia facta est de nibili; mundi autem species de informi materia, que cœli & terre nomine appellata est, non quia jam substantia & species completa forma erat, sed quod esse poterat.* Erat ideo chaos turbidum, à caligine interclusum , in quo omnia simul mixta exi- stebant, inconspicua erat præ tenebris, chaos enim erat tenebrosum omnia oc- cul-

cultans, sed lux tandem erumpens omnia illuminavit. Qvæ creatio fuit prima & immediata, unde fluxit secunda & mediata, qua DEUS ex materia inepta, rudi & indisposita fecundatione spiritus sancti produxit substantias distinctas, humanum corpus, irrationalem bestiam, pisces & aves aliaque quæque ex certis elementis, quibus clementer benedixit dicens: *crescite & multiplicamini*, Gen. i. Qyibus indidit secundum uniuscujusque speciem semen fœcundum, virtutem & vim specificam efficacissimam, quæ fuere dos pretiosissima; (3) Dicimus sensum Sapientiæ nobis favere, cum de creationis opere tum absolvendo tum absoluto clarè loqvatur, interprete Calov. in Com. suo ad Genesin pag. m. 14. Creavit omnino omnipotens DEI manus informem materiam, rudem & indigestam mollem, forma completa carentem, de qua orbis terrarum & cætera omnia, quæ in eo sunt deinceps creata sunt. Hoc accepit & exposuit Hesiodus.

in Theogonia: *Principio natum Chaos, hinc prodidit in auras larga sinu tellus.* (4) Est simul illud (1) aut *collectivum temporis* & sic denotat ipsius creationis sextiduum, intra quod non longo temporum decursu, sed unica tantum hebdomade, universaliter condita. (2) Aut est *Collectivum specierum*; omnia enim quæcunque creata sunt, à DEO creatore primo die, respectu specierum, sunt condita, reliquis autem diebus tantum distincta, *figura una erat & Cœli & Soli*, dixit Euripides discipulus Anaxagoræ. (3) Aut referri potest ad primam illam & indispositam massam, omnium rerum matricem, quæ ex nihilo tota *Simul* est creata, in qua omnia *Simul* erant, & ex qua omnia *Simul* producta sunt. Anaxagoras: *Cuncta Simul mixta erant, at mens ea discrevit ornavit, & quæ confusa erant ordinavit.* In chaote erat quidem omnis Substantia *Simul* creata, sed omnis species non erat *Simul* formata & distincta, quod simul extitit per substantiam materiæ, non *Simul* apparuit per speciem formæ. Vel: *Simul dici-*

dicitur (1) tum de *communitate originis*  
*& dependentie*, qvod scil. omnia *commu-*  
*niter vel equaliter ex nihilo sint creata-*  
*Sap. 6: 8.* (2) vel de *temporis non inter-*  
*rupti continuatione*, qvod intra unum illud  
*Hexaëmeron creata sint omnia.* (3)  
*Vel etiam ratione matricis sue*, qvod in  
*chaote illo primævo omnia Simul sint*  
*condita.* Qvod etiam respicit Gregor:  
*Lib. 32. moral. c. 10.* Deus creavit o-  
*mnia Simul materialiter non vero forma-*  
*liter, per substantiam materiæ, non au-*  
*tem per speciem formæ.* Sic creavit  
*omnia Simul ab initio ē nihilo potestate,*  
*sed non Actu.* Omnes quidem substantiæ  
*in Chaote sunt conditæ; qvæ postea in*  
*specie apparuere. Indistincta rerum uni-*  
*versitas, indistinctæque specierum sub-*  
*stantiæ in primæva illa massa latebant.*  
*Scitè loquitur Calovius: Omnia quidem*  
*fuerunt Simul potestate in primo Dei ad*  
*producendum appulsa, tanquam vi*  
*qvâdam feminis ad mundi procreatio-*  
*nem conjecta; Actu vero res singulæ*  
*minimè fuerunt.* (5) Concedimus in  
 pri-

prima rerum creatione nullam fuisse putredinem, sed omnia bona & perfecta: nulla itaque ejus generis tum animalia fuisse: qualia sunt, lentes, pediculi, pulices, acarus, cimices, lumbrici, &c. vel herbæ nocivæ. Licet vero ejusmodi *actu* tum non fuerint, *Potentia* tamen in aliis animalium & herbarum speciebus & materiæ habilitate latuerunt, quæ post lapsum inde sunt producta. Idem prorsus sentierendum est de ipsis animalium speciebus, quæ diversarum specierum commixtione generantur, ut, de Mulo, Leopardo & aliis apud Physiologos. Potuisset quidem DEUS uno verbo totum hoc universum, quæque in eo sunt, creare & in conspectum statim producere, si voluisset, sed non voluit, complacuit enim potius gradatim & intra sextiduum procedere, sicut cum pararet πρωτάρθρων patrem Adamum, Gen. i: 27. primum formavit corpus ex limo terræ, ibid. 2: 7. Deinde spiraculum vitae, h.e. animam, ei inspiravit. Deniq; Evam

matrem ædificavit ex costa lateri Adami evulsa, ibid. v. 22. ut clarior elucesceret atque omnibus innotesceret immensa atque ineffabilis Divinæ sapientiæ & omnipotentiæ efficacia.

### *ADDITIONES:*

*Causa efficiens seminis sunt testiculi.*

*Semen est proximum generationis medium.*

*Semen nec est alimentum, nec colligamentum, nec excrementum.*

*Plantis & insectis inest calidum innatum.*

*Una est tantum hominis anima.*

*Infans in utero matris naturaliter non vagit.*

Præcomio & commendatione singulari dignum omnino existimandum, rerum insignium studio tempus consumere & circa ea, quæ in recessus naturæ abstrusa, ardua, difficultia nec cuivis pervia sunt, occupari. Egregiam huius rei notam, tu amice dilecte, disputatione publica, de materia subtili & sat is intricata, minimeque trita cum laude ostendis: mentis profecto erectæ argumentum haud obscurum est, abdita naturæ timari, & prout tuum iam factum specimen comprobat, velle supra vulgus sapere. Orsa & conamina hæcce tua simulqve in studiis positam operam ego tibi animitus gratulor, & ulterius ad magna egregiæ indolis incrementa possint appeti, ut brabea exoptata mancisa-  
ris, vale!

*Sic fratri suo integerrimo non  
quidam ut debuit, sed ut  
festina, amica ramen ma-  
nu, potuit, congratulatur*

JOHANNES AGRELL.



MF Rv 5581